Sanctiss.me ac Beatiss.me Pater et D.ne
post pedum oscula Sanctor.

Veniunt sero, sed tamen aliquando hę meę litterę Sanctitatem tuam veneraturę.
Et quoniam memini, te Florentia, mihi subiratum discessisse: illis mandavi, ut
Vbi primum, se in conspectum tuę Sanctitatis dederint, antequam hoc officio
fungantur, per eum, cuius vicem in terris geris, precentur, ut omnem in me
conceptam indignationem deponere, ac in pristinam gratiam saltem tan-
tisper revocare velis, dum hoc debitum, et quasi ęs alienum Sanctitati tuę
persoluatur. Quod si te in sententia manere cognouerint, et maiorem meę
culpę, quam ęquitatis tuę rationem habere, silescant illico, et amplius mu-
tire non audeant. At si quod immutati, pacatique animi signum erga me
animaduertant. Tunc meo nomine Sanctitati tuę dignitatem, qua nulla
in terris maior est, et felicitatem diuinitus traditam gratulentur.
Neque solum ea de causa gratulentur, quod ex omnibus hominibus Deum
S.tuam elegisse videmus, cui suam Ecclesiam precioso sanguine acquisitā
committere non dedignatus sit. Verum etiam, quod amplissimum patien-
tissimumque Sanctitati tuę campum propositum esse intelligimus, in
quo summa tua pietas, atque rellegio, singularis caritas, et insita ani-
mo benignitas in omnes bonos elucesceret. Nam et si satis iam satis Ro-
me, Gallię, atque Italię uniuersę spectata erat virtus tua: ~~qui~~
qui in istis locis diu fuisti, et singularis integritatis modestięque

BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE FIRENZE

compluria specimina dedisti. Optandum tamen nobis videbatur, nouam aliquam tibi, amplioremque occasionem dari de omnibus benemerendi, et effigiem, quam animo spectaras, tanquam in tabula exprimendi, et uni=uerso Christiano orbi patefaciendi, quò latius pateret beneficentia tua, et gloria, quę honestè factorum perpetua comes est, in dies maior fieret, et illustrior. Quod quidem omnibus gratissimum, florentię urbi, quam cęteris gratius accidere debet. Nam reliqui externo bono quodammodo gratulan=tur, illa autem suo letatur, quippe quę natura tibi mater est, cuiusque laudis, ac felicitatis bonam magnamque partem merito iudicat ad se pertinere. Eoque maiori gaudio sese efferat necesse est, quod postquam ad pontificium apicem euectus es, et palam omnibus audientibus di=xisse, relatum est; te illius esse filium, eoque nomine potissimum gloriari quod florentinus sis, atque ex ea natus. Quę uoces summa caritate, sum=maque prudentia plenę, mirificam apud omnes gratiam, et beneuolenti=am conciliarunt. Cumque eiusmodi sint, quę obscurissimam quamque patriam illustrare, et cohonestare possint; ipsa per se honesta, atque illustris, ex tuis uerbis, amplissimoque testimonio, tanto honore tanta=que dignitate augeri uidetur, ut iam cum amplioribus Urbibus sit equanda, si non anteferenda. Hęc pauca nunc meę litterę Sanctitati tuę nunciabunt, alias fortasse alię plura. Hec pretermittent, me, nisi tui suppuduisset, nullis ingrauescentis ętatis, nullis infirmę ualetudinis impedimentis retinendum fuisse, quin ad te uenirem, et uultu, fronte, et oculis melius gaudium meum significarem, ac presens illos pedes tuos deoscularer, qui diuina dispositione illius pedis locum in terris tenent, de quo apud Isaiam scriptum est. Urbem sublimem

(Roman. 13) conculcabit pes, pes pauperis, gressus egenorum. Tunc profecto Sanctitas tua cognouisset, meam letitiam esse singularem. Quamquam mea in te uoluntas, qui multis nominibus tibi obnoxius sim, testimonio non eget. Deum potius precabor, ut tibi diuturnam uitam, atque incolumitatem prestet, omniaque ad eius uoluntatem dirigas, ut, quod semper spectasti, omnibus tuis dictis, ac, factis diuina prouidentia commendetur. Vale VII Cal. Maij. CIↃIↃCV

Tuę sanctitatis

Humillimus ac deuotiss.us seruulus Matthęus Cutinius Sacerd.s

Al Sact.mo e Beat.mo padre e S.r nro Papa
Leone XI.

Del Cortino à Lion XI.